



**A**Dalgerus filius fuit Veliphonis Hunni, qui paternam originem ad Herculem Alemanum referebat, cui etiam ob magnam corporis & animi fortitudinem similimus uidebatur. Itaque cum uariarum gentium nationes, quas prius Attila in commilitium accierat, pacem exuissent, & regna hinc inde turbarent, Boiorum populi commoti Schirathij, Trani, Salij, Stiri, & Buri, quo firmiores forent coeunt, & hunc Adalgerum regem salutant. Et quo utilitas uocat nunc Getis & Sueuis, nunc Hunnis & Rugijs coniuncti, transito Danubio collecta ex Romanis prouincijs praeda uictitarunt. Post hoc oritur certamen inter Sueuos & Ostrogothos. Unde Boij a Sueuis concitati, Valomarum eorum regem pugna interficiunt. Nec Gothi regium sanguinem inulti reliquerunt. Theodorus enim Theodoricus pater Ostrogothorum rex hyeme rigente, superato Danubio Sueuos & Boios (quos communi uocabulo Alemannos uocabant) non parua clade affecit. A tergo quoque Venedi in Germania interiore inualescere coeperunt. Inde in finitimos saeuire, Sueuos & Boios lacessere & infestare statuerunt. Itaque Alaricus Sueuorum rex cum suis popularibus migravit, & loca uersus Occidentem occupauit, supra Lycum fluium. Boij quoque Sueuorum uestigia insecuti, ab Oriente per Histri ripam ad Nariscos auitos agros & gentis incunabula (cuius tunc Noreioberga caput erat) concesserunt. In his locis ad tempus quieti confederunt. Verum postea cum Childerico & Clodoueo Francorum regibus aliquid negotij fuit, qui pares ferre non poterant, & soli regio nomine in Gallia & Germania imperitare contendebant. Indignabantur itaque Boios & Sueuos sibi uicinos suis legibus uiuere, & immunes a Francorum Imperio esse. Itaque Clodoueus rex Francorum iuuenis, natura ferox, uictis tum Turrogis & uiribus Romanis in Gallia deletis, Alemannis bellum indixit.